

## Band VII., Nr. 2321, Seite 226-227

*Dekan Richard und das Kapitel des Stifts Wimpfen beurkunden, dass sie den Bürgern zu Wimpfen am Berg und im Tal und den Bauern zu Ober- und Untereisesheim und in der Umgegend die Äcker auf dem Altenberg zu Erblehen verliehen haben.*

Ohne Ortsangabe, 1273. Ohne Tagesangabe.

Richardus decanus totumque capitulum ecclesie Winpinensis universis scriptum presens inspecturis salutem et firmiter credere subnotatis. Tenore presentium profiteam publice et protestamur, quod nos civibus Winpinensibus tam montis quam vallis quam etiam in Isenshein superiori et inferiori villanis nec non eisdem villis circumsedentibus cultoribus, quocumque nomine censeantur, eorumque heredum universe successioni agros Veteris Montis, qui mons ex antiquo ad nostram pertinere dinoscitur ecclesiam, concessimus iure hereditario possidendos pro tertia parte frugum annis singulis in vallem sine nostro dampno quolibet deducenda, quocumque nos vel nostre ecclesie portarius easdem manere decreverimus vel locari, triplici sane pactionum genere adiecto. Primo quod singulis annis quodlibet iugerorum sex carris stercoris in nichilo diminutis, antequam dicti agri in usus hiemalium fructuum seminarium receperint, provide stercorentur. Secundo quod tempore messium instante ad bladum falces non aplicent nisi nostra licentia vel consensu unanimi requisito et per consequens inpetrato. Tertio quod omnes memoratorum agrorum cultores in natali sancti Johannis Baptiste nostre presentie vultui se presentent audituri et a nobis subtiliter requirendi, si quid forsitan de bonis pretaxatis distractum vel etiam inique alienatum sit, seu quibuslibet aliis nos prout tunc contingentibus nostrum capitulum decreverit ordinandum. Si quis vero in hiis, que prelibavimus, exequendis negligens vel minus sufficiens repertus fuerit, cum sus heredibus iure hereditario, quod a nobis possederat, ex debito sit privandus et dicti agri ad nostram ecclesiam postmodum redibunt licite et solute. Ut igitur nostre concessionis donatio rata et inpermutabilis perseveret, presentem paginam conscribi iussimus et sigilli nostri capituli appensione fecimus roborari. <br> <br> Datum anno domini MCCLXXIII.

Nach dem Nekrolog des Stifts Wimpfen aus dem 13. Jahrhundert, fol. 2.

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

### Ortsindex:

Obereisesheim Wohnplatz (2107)<br> Obereisesheim, Neckarsulm, HN<br>  
Untereisesheim Wohnplatz (2217)<br> Untereisesheim, HN<br> Wimpfen am Berg Wohnplatz (1852)<br> Wimpfen am Berg, Bad Wimpfen, HN<br> Wimpfen im Tal Wohnplatz (1853)<br> Wimpfen im Tal, Bad Wimpfen, HN